

APPENDICE I
Edizione di alcuni documenti

1.

† Venerabilibus in Christo religiosis et honestis viris priori et conventui monasterii Sancti Spiritus de Magella, Ordinis Sancti Benedicti, Theatine dyocesis eiusque fratribus universis presentibus et futuris. Gualterius de Palearea, Dei et regis gratia comes Manuppelli, cum devotione salutem in eo qui omnibus dat salutem. Considerantes religionem vestram Deo satis acceptam et orationum vestrarum suffragia multipliciter fructuosa quarum participio etiam nos carere nolentes, felici commutando commercio temporalia cum eternis, ius patronatus ecclesie Sancti Spiritus de Magella, site in montanea de Magella in loco qui dicitur Ligu de territorio et districtu castri Rocce Morici, que hodie per fratres vestri Ordinis gubernatur, cum omnibus iuribus et pertinentiis ad nos inde quoquomodo spectantibus, pro salute nostra parentumque nostrorum, vobis et per vos monasterio et Ordini vestro, pro nobis nostrisque successoribus imperpetuum plenarie ac libere, auctoritate presentium concedendo remictimus et concedimus remictendo, ita quod in ea eiusque pertinentiis et iuribus decetero nichil petere vel vendicare possimus, set dispositioni, ordinationi, gubernationi et usibus vestris perpetuo et libere applicetur; conferendo vobis vestrisque successoribus ac donando plenum ius et liberam facultatem pasuorum pro quorumlibet animalium vestrorum usibus summendorum, tam in montibus quam in planis, pratis et silvis et aquarum, fontium et fluminum, lignorum siccorum et viridum pro edificiis et aliis oportunis usum et commoditatem capiendi, habendi et recipiendi, necnon construendi, edificandi et reedificandi balcatoria et molendina et aquam derivandi et ducendi ad ea ubique in nostro et nostrorum subditorum et hominum dominio et districtu. Ad maioris quoque mercedis cumulum universis et singulis subditis nostris et hominibus de rebus eorum mobilibus et stabilibus emptitiis liberis et servitiis etiam obligatis, prout eis placuerit pro animarum suarum salute, vobis et ecclesie supradicte dandi, vendendi, permutandi, conferendi et relinquendi, inter vivos seu in ultimis voluntatibus, liberam potestatem in perpetuum tenore presentium et plenariam libertatem duximus concedendam; pro nobis nostrisque successoribus Deo et vobis sollempniter ac tibi dicte ecclesie rectori promictendo hec omnia et singula rata et firma semper habere et in nullo per nos vel per alios unquam contra facere vel venire. Ad cuius rei fidem et perpetuam firmitatem et vestri cautelam presentes patentes licteras inde fieri fecimus nostro sigillo munitas. Actum in castro Manuppelli, anno Domini millesimo ducesimo quinquagesimo secundo, mense iunii, vicesimo secundo eiusdem decime indictionis.

2.

Nos Gualterius de Pallearia, comes Manuppelli, precogitans in nostre mentis facie quod nihil Deo acceptius salutique animarum magis meritorium quam omnia bona sua viduis et ecclesiis erogare quibus attentis, ob magnam devotionem pio ac sacro monasterio Sancti Spiritus de Mayella, iccirco^a, pro salute anime nostre et pro remissione nostrorum peccaminum atque parentum nostrorum et quadam liberalitate motuque proprio et contra nonnullis causis, nos, digne moventibus sponte, per nos

nostrosque heredes et successores, omni colludio, pravitare et dolo cessantibus, damus, donamus, tradimus, concedimus et concedimus^a, iure proprio in perpetuum ac donationis titulo inrevocabiliter inter vivos sine penitudine, religioso ac venerabili viro fratri Placito, ordinis Morenentium^a, commoranti in monasterio prelibato, presenti, stipulanti et recipienti, tam pro se quam nomine et pro parte venerabilis fratris Petri de Murrone^a, prioris dicti monasterii, et aliorum fratrum ibidem commorantium^a suorumque subcessorum^a, fedum^a unum situm in pertinentiis castri nostri Rocce Montisplani, [in contrata de] Monte Plano, iuxta rem Margarite Angeli, [...] et Luce Evangeliste et li Capoczi, per quem via transit et in quo sunt arbores glandifere et infructuose; item unum gyardinum situm in pertinentiis dicti castri Rocce, iuxta viam a tribus partibus, et alios fines siqui fuerint veriores; cum omnibus iuribus, actionibus et iuris auxiliis sibi competentibus et competenturis^a et omnibus infra se et supra se habitis et habendis. Ad habendum et tenendum et possidendum et quicquid eius et suis successoribus placuerit deinceps faciendum, retento nobis tamen quo adviserimus^a et nobis fuerit vita comes ipsius fedi^a usufructu; renunciantibus omnibus actionibus et exceptionibus, realibus et personalibus et mistis rei sive persone coheredibus et expressim et sigillatim, et omnibus legibus, constitutionibus, restitutionis in integrum beneficiis, doli, fraudis, metus, coactionis sive in factum exceptionibus vel actionibus et omnibus aliis iuris vasaliis^a et legum nobis competentibus et competituris, quo de iure vel de facto posset contra facere vel venire. Promittentes et firmiter pollicentes huiusmodi donationem, cessionem et concessionem per nos nostrosque heredes et successores eidem fratri Placido, pro se et nominibus quibus supra eiusque in dicto monasterio successoribus, ac omnia et singula in presentibus scriptis contenta semper et omni tempore rata, grata et firma habere et tenere et numquam nullo tempore contra facere vel venire, sub pena et obligatione omnium bonorum nostrorum mobilium et immobilium tam a iure promissorum^a quam prohibitorum ac sub fide p(ro)cerum et magnatum. Investientes propterea eundem fratrem Placidum de dicto feudo et gyardino prout moris est insimilibus observari per nostrum anulum solutum^a et consuetum. Decernentes quod siquis nostrorum heredum et successorum nostrorum auxerit contra presentem paginam venire seu aliter dictum monasterium et fratres molestare et perturbare temptaverit seu aliter quicumque presumpserit, nisi reatum suum proprio modo concesserit et debitam satisfactionem fecerit, indignationem omnipotentis Dei cognoverit se incursum. In quorum omnium fidem et dicti monasterii fidem et cautelam li(cter)as presentes patentes fieri iussimus per manus^a notarii Cataldi filii Odonis de Manuppello nostrique sigilli impressione quo in talibus utimur munitas atque roboratas. Datum in castro nostro Manuppelli, in domibus solite residente, sub anno incarnationis nostri Iesu Christi millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo, mensis iunii vigesimo secundo eiusdem .X. indictionis.

Nos Gualterius de Pallearia comes Manuppelli ad certitudinem premissorum firmitatemque perpetuam propria (S) manu.

a) Così.

3.

Nos Gualterius de Pallearia, comes Manuppelli, precogitans in nostre mentis facie quod nihil Deo acceptius salutique animarum magis meritorium quam omnia bona sua viduis et ecclesiis erogare quibus attentis, ob magnam devotionem pio ac sacro monasterio Sancti Spiritus de Magella, idcirco, pro salute anime nostre et pro remissione nostrorum peccaminum atque parentum nostrorum et quadam liberalitate et motu proprio et contra nonnullis causis, nos, digne moventibus sponte, per nos nostrosque heredes et successores, omni colludio, pravitate et dolo cessantibus, damus, tradimus et concedimus iure proprio, in perpetuum ac donationis titulo i(n)revocabiliter inter vivos sine penitudine, religioso ac venerabili viro fratri Roberto de Sallo^a, Ordinis Moronentium^a, commoranti in monasterio prelibato, presenti, stipulanti et recipienti tam pro se quam nomine et pro parte venerabilis fratris Petri de Murrone, prioris dicti monasterii, et aliorum fratrum ibidem commorantium et suorum successorum, fedum^a unum situm in pertinentiis castri nostri Casalis, in contrata que dicitur la Salara, confinatum^a a tribus lateribus id est a pede et a capite et ab uno latere via publica et reali et ab alio latere [parvo] torrenti qui quidem f[.....] quingentis modiis vel circa; item unam silvam excolendam in pertinentiis castri nostri Pretorii, in contrada que dicitur lo colle Caldorello, iuxta Vallonem [...] et superius res ecclesie Sancte Marie de Monte et iuxta bona Massutii Cherubini et siqui alii confines sunt; cum omnibus iuribus, actionibus et iuris auxiliis sibi competentibus et copenteris^a et omnibus supra se et infra se habitis et habendis. Et^a habendum, tenendum et possidendum et quicquid eis et suis successoribus placuerit ac deinceps faciendum, retento nobis tantum quo advixerimus et nobis fuerit vita comes ipsius feudi usufructu, quo ad fedum^a et silvam que capere potest modios triginta; renunciantibus omnibus actionibus et exceptionibus realibus et personalibus et mistis rei sive persone coheredibus et expressim et sigillatim et omnibus legibus, constitutionibus, restitutionis in intregrum beneficiis, doli, fraudis, metu^a, coactionis sive in factum exceptionibus vel actionibus et omnibus aliis iuris vaxallis^a et legum nobis competentibus et competituris quo de iure vel facto posset [contra facere] vel venire. Promittentes et firmiter pollicentes^a huiusmodi donationem, cessionem et concessionem per nos nostrosque heredes et successores eidem fratri Roberto pro se et nominibus [quibus] sibi eorumque in dicto monasterio successoribus ac omnia et singula in presentibus l(icte)ris contenta semper et omni tempore rata, grata et firma habere et tenere et unquam aliquo tempore contra facere vel venire, [sub pena] et obligatione omnium bonorum nostrorum mobilium et immobilium tam permissorum quam prohibitorum ac sub fide p(ro)cerum et magnatum. Investientes preterea eundem fratrem Robertum de dicto feudo et silva prout moris est insimilibus observari per nostrum anulum solitum et consuetum. Decernentes quod siquis nostrorum heredum et successorum nostrorum auxerit contra presentem paginam venire seu aliter dictum monasterium et fratres molestare et perturbare temptaverit seu aliter quicumque presumerit^a, nisi reatum suum proprio modo emendaverit et debitam satisfactionem fecerit, indignationem omnipotentis Dei cognoverit se incursum. In quorum omnium fidem et ad dicti monasterii cautelam et firmitatem presentes l(icte)ras patentes fieri iuximus per manus^a notarii Lancellotti Rainaldi de Pretoro nostrique sigilli quo in talibus utimur munitas atque roboratas. Datum in nostro castro Pretori, in arce in qua nostra solita est nostra esse residentia, sub anno incarnationis domini nostri Iesu Christi millesimo ducentesimo quinquagesimo tertio, die vero mensis augusti quarto.

Nos Gualterius de Pallearia comes Manuppelli ad certitudinem premissorum firmitatemque perpetuam propria^a (S) manu scripsi.

(a) Così.

4.

† In Christi nomine, amen. Anno ab incarnatione eiusdem millesimo ducente[simo] quinquagesimo nono, die vicesimo tertio mensis maii secunde [indictionis, regnante domino nostro] domino Manfrido Dei gratia inclito Sycilie rege, regni eius anno primo. Feliciter, amen. Nos Peregrinus, Sulmonis iudex, et Philippus domini Bertrami, publicus eiusdem terre n[otarius], declaramus scripto presenti [quod], tam in nostri presentia quam testium subscriptorum ad hoc specialiter rogatorum et vocatorum, videlicet iudicis Nicolay Aldami^a, notarii Thomasii et Nicolay sir Landulfi de Sulmona, Symon Gegonis, Ovidius et magister Bonushomo de Sulmona, sindici universitatis Sulmonis, de quorum sindacatu legitime constitit, dederunt et concesserunt, donatione inter vivos, pro parte et nomine universitatis predictae, fratri Iacobo et fratri Iohanni heremitis, recipientibus pro parte et nomine fratris Petri heremite de Maiella et successoribus eius, quandam partem terre positam in territorio Sulmonis, in contrata que vocatur Morron(e), ab una parte cuius est via publica que venit a Morron(e) et decurrit usque ad fontem predictis^a Morronis, ab alia est Vallonus prout protenditur usque ad Colles restupplaram, ab alia est via prout decurrit ad Castellionem et ab alia est Vallonus et via prout decurrit ad viam que decurrit ad predictum fontem, iuxta cesam Robberti^a Ben(edicti) Iohannis Ben(edicti) et siqui alii sunt confines terre predictae. Ad habendum, tenendum et perpetuo possidendum pro se et successoribus suis ibidem conversari volentibus in vita heremitorum et vitam tenentibus heremite. Quam donationem predicti sindici omni tempore ratam et firmam habere promiserunt pro se et successoribus eorum. Renuntiantes in hoc omni iuri et actioni eorum quod et quam haberent vel habere possent in terra predicta et pro revocanda donatione predicta. Actum in Sumona ante ecclesiam Sancti Iohannis, anno, mense, die et indictione pretitulatis. Unde ad futuram memoriam et predicti fratris Petri cautelam presens scriptum publicum rogantibus sindicis supradictis confectum est exinde per manus Philippi notarii supradicti subscriptione ipsius notarii, mei predicti iudicis et dictorum testium roboratum. Quod scripsi ego prefatus Philippus domini Bertrami auctoritate regia publicus Sulmonis notarius id in formam publicam redigens de communi predictorum contrahentium voluntate ipsumque meo signo signavi. Supra in octava decima linea [.....] predictum notarium Philippum rasum et emendatum est ubi legitur revocanda. (S)

Ego qui supra Peregrinus presentis anni Sulmonis iudex. (S)

Ego qui supra iudex Nicolaus Aldami^a predictis interfui et signum feci. (S)

Ego qui supra notarius Thomas rogatus testis hiis omnibus interfui et subscripsi.

(S)

a) Così.

5.

In Christi nomine, amen. Anno ab incarnatione eiusdem millesimo ducentesimo quinquagesimo nono, die quinto mensis iunii secunde indictionis, regnante domino nostro Manfredo, Dei gratia inclito Sicilie rege, regni eius anno primo. Feliciter, amen. Nos Peregrinus, Sulmonis iudex, et Philippus domini Bertrami, publicus eiusdem terre notarius, declaramus scripto presenti quod, tam in nostri presentia quam testium subscriptorum ad hoc specialiter rogatorum et vocatorum, videlicet magistri Manuelis, ser Petri de Anversa, magistri Bonhomis^a et ser Henrici de Sulmona, frater Iacobus, venerabilis Valven(sis) episcopus, et capitulum ecclesie Sancti Pamphili^a de Sulmona dederunt et concesserunt et permiserunt fratri Iacobo et fratri Petro heremitis, recipientibus pro parte et nomine fratris Petri heremite de Maiella et successoribus eius, quod predictus frater Petrus possit edificare ad honorem sancte Marie virginis ecclesiam in contrata Murronis, ita tamen quod de predicta ecclesia predictus frater Petrus et successores [...] ^b predictis domino episcopo et ecclesie supradicte. Adiecto etiam in concessione predicta quod predictus frater Petrus heremita vel alius, qui successive conversabitur seu morabitur in ecclesia supradicta in vita heremitorum, predictum servitium et redditum de predicta ecclesia facere teneatur, nec alii ecclesie vel monasterio vel clericis secularibus eandem ecclesiam possit concedere vel submittere vel regendam committere, nisi viris religiosis tantummodo heremitis et heremitorum vitam tenentibus. Actum ad predictam ecclesiam Sancti Panphili^a de Sulmona, anno mense, die et indictione pretitulatis. Unde ad futuram memoriam et predicti fratris Petri cautelam presens scriptum publicum rogantibus contrahentibus supradictis confectum est exinde per manus^a Philippi notarii supradicti, subscriptione ipsius notarii, mei predicti iudicis et dictorum testium roboratum. Quod scripsi ego prefatus Philippus domini Bertrami auctoritate regia publicus Sulmonen(sis)^a notarius, id in formam publicam redigens de communi predictorum contrahentium voluntate ipsumque meo signo signavi^c.

Ego qui supra Peregrinus presentis anni Sulmon(is) iudex.

Ego Emanuel magistri Iacinti hiis omnibus interfui et signum feci.

Ego ser Petrus de Aver(sa)^a testis fui.

Ego Bonhomus rogatus testis interfui et subscripsi.

Ego ser Henricus rogatus testis interfui.

a) Così. b) lacuna di circa una riga e mezza. c) Z: *signum crucis*; nell'originale c'era il *signum notarii*.

6.

† In Dei nomine, amen. Anno nativitatis eius millesimo ducesimo quinquagesimo nono, mense octubris, die vicesimo sexto eiusdem tertie indictionis. Regnante domino nostro Manfr(edo), Dei gratia inclito Sicilie rege, regni eius anno secundo. Feliciter, amen. Nos Franciscus Sulmonis iudex et Nicolaus Girardi publicus eiusdem terre notarius declaramus scripto presenti quod tam in nostri presentia quam subscriptorum testium ad hoc specialiter rogatorum et vocatorum, videlicet Nicolai Egidii, Iohannis Rodulfi et Andree Oddor(isii) magistri Ray(naldi) de Sulm(ona), Simon Gagonis, Ovidius et magister Bonushomo de Sulm(ona), syndici universitatis Sulmonis de quorum syndicato plene et legitime constitit, dederunt et concesserunt donatione inter vivos, pro parte et nomine universitatis predictae fratri Iacobo heremit(e) recipient(i) pro parte et nomine fratris Petri heremit(e) de Maiella et successoribus eius in perpetuum, quandam petiam terre positam in pertinentiis Sulmonis, in contrata que vocatur Morron(e), ab una parte cuius est via publica que venit a Morron(e) et decurrit usque ad fontem predicti Morron(is), ab alia parte est Vallonus prout protenditur usque ad colles restupplaram, ab alia parte est via prout decurrit ad Castellion(em), ab alia parte est vallonus et via prout decurrit ad viam que decurrit ad predictum fontem, iuxta cesam Roberti Ben(edicti) Iohannis Ben(edicti) et siqui alii sunt confines terre predictae. Ad habendum, tenend[um et perp]etuo possidendum pro se et successoribus suis ibidem conversari volentibus in vita heremitorum et vitam tenentibus heremite. Quam donationem predicti syndici omni tempore ratam et firmam habere promiserunt pro se et successoribus eorum. Renuntiantes in hoc omni iuri et actioni eorum quod et quam haberent vel habere possent in terra predicta et pro revocanda donatione predicta. Actum in Sulm(ona), in platea maiori, anno, mense, die et incitione pretitulatis. Ad cuius rei fidem et perpetuam firmitatem et predicti fratris Petri cautelam presens scriptum publicum, rogantibus syndicis supradictis confectum est exinde per manus mei predicti notarii Nicolai signo meo et subscriptionibus mei predicti iudicis Francisci et supradictorum testium roboratum. Quod scripsi ego qui supra Nicolaus auctoritate imperiali publicus Sulm(onis) notarius et quia rogatus interfui signum feci. (S)

§ Ego qui supra Franciscus presentis anni Sulmonis iudex interfui et subscripsi. (S)

§ Ego Nicolaus Egidii rogatus testis huius omnibus interfui et signum feci. (S)

§ Ego Iohannes Rodulfi rogatus testis interfui et subscripsi^a. (S)

§ Ego Andreas Odder(isii) sum testis interfui et signum feci. †

a) Così.

7.

† Urbanus episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis^a rectori et fratribus heremi Sancti Spiritus de Magella, ordinis sancti Benedicti, Theatine diocesis, salutem et

apostolicam benedictionem. Sacrosancta Romana Ecclesia devotos et humiles filios ex assuete pietatis officio propensius diligere consuevit et ne pravorum hominum molestiis agitentur eos tanquam^b pia mater sue protectionis munimine confovere. Eapropter dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras et heremum in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis que i(m)presentiarum rationabiliter possidet aut in futurum iustis modis, prestante Domino, poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, specialiter autem ortos, virgulta et alia bona vestra sicut ea omnia iuste ac pacifice possidetis, vobis et per vos heremo vestre auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre protectionis et confirmationis infringere vel ausu temerario contrahere. Si quis autem hoc attentare^b presumpserit indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Dat(um) apud Urbemveterem, quarto nono^b iunii, pontificatus nostri anno secundo.

a) Nell'originale c'era il gemipunctus. b) Così

8.

† In Dei nomine, amen. Anno nativitatis eius millesimo ducentesimo [sex]agesimo tertio, mense septembris, [octavo eiusdem sexte] indictionis. Regnante domino nostro Manfr(edo), Dei gratia inclito Sycilie rege, regni eius anno quinto. Fe[lliciter, amen]. Coram me Gualt(erio) Amodei^a, Ursie iudex^a, et in presentia Mathei^a Gesmundi, publici Sulmonis notarii et testium subscript[orum ad] hoc specialiter vocatorum et rogatorum, videlicet Benevenuti^a Egidii, Raynallutii Deodati et Anastasii^a de Sulm(ona), dominus Ber(ardus), dominus Gualt(erius) et dominus Odder(isius) de Aczano, pro eis et heredibus suis iure proprio, dederunt, tradiderunt et concesserunt donatione inter vivos vicepriori fratri Petro, vicepriori heremite Magelle et successoribus eius, in perpetuum, omnem proprietatem et actionem quam habent vel habere sperarent et possent in ecclesia Sancte Marie de Muron(e)^a, terris et ortis subiacentibus eidem ecclesie, ab una parte cuius ecclesie et predictarum terrarum est via que decurrit ad Murrone[m] usque ad fontem de Ursa, ab alia parte est via que decurrit ad fontem usque ad Castelionem, ab alia parte est via Castelionis que decurrit per Macclas et exit ad viam Murrone[m] et siqui alii sunt confines terrarum et predictae ecclesie. Ad habendum, tenendum ac perpetuo possidendum pro se et successoribus suis ibidem in vita heremitorum volentibus commorari et vitam tenentibus heremitorum. Quam donationem predicti domini, pro eis et heredibus suis, omni tempore ratam et firmam habere promiserunt, renuntiantes in hoc omni iuri et actioni eorum quod et quam haberent vel habere sperarent et possent in ecclesia, terris et ortis predictis pro revocanda donatione predicta. Et cum scirent predicti donatores me non esse suum notarium in me tamquam in suum notarium in hac parte consensierunt expressim. Actum in Sancta Maria de Murrone, anno, mense, die et indictione pretitulatis. Unde ad futuram memoriam et predicti fratris Petri cautelam, presens scriptum publicum, rogantibus dominis supradictis, confectum est exinde per manus^a mei Mathei^a notarii supradicti, subscriptione mei notarii, mei predicti iudicis et

testium roboratum. Quod scripsi ego predictus Matheus^a Gesmundi, auctoritate regia publicus Sulmonis notarius, id in formam publicam redigens, de communi predictorum contrahentium voluntate, ipsumque signo proprio consignavi. (S)

§ Ego qui supra Gualterius Amedei^a, presentis ani^a Ursie iudes^a, hiis interfui et subscripsi. (S)

a) Così.

9.

† In Dei nomine, amen. Anno nativitatis eius millesimo ducentesimo sexagesimo tertio, mense septembris, octavo eiusdem sexte indictionis. Regnante domino nostro Manfr(edo), Dei gratia inclito Sycilie rege, regni eius anno quinto. Feliciter, amen. Coram me Francisco, Sulmonis iudice, et in presentia Mathei Gesmundi, publici eiusdem terre notarii, et testium subscriptorum ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum, videlicet Benevenuti^a Egidii, Rayn(aldi) Deodati, Anestasio^a de Sulm(ona) et Gualterius Amodei^a de Ursa, dominus Ber(ardus), dominus Gualt(erius) et dominus Odder(isius) de Aczano, pro eis et heredibus suis, iure proprio, dederunt, tradiderunt et concesserunt, donatione inter vivos, fratri Petro, vicepriori et heremite Magelle, et successoribus eius, in perpetuum, omnem proprietatem et actionem quam habent vel habere sperarent et possent in ecclesia Sancte Marie de Murron(e), terris et ortis subiacentibus eidem ecclesie, ab una parte cuius ecclesie et terrarum et ortorum est via que ad Murronem usque ad fontem de Ursa, ab alia parte est via que decurrit ad fontem usque ad Castelionem, ab alia parte est via Castelionis que vadit per Macclas et decurrit ad viam Murronis et siqui alii sunt confines terrarum, ortorum et predictae ecclesie. Ad habendum, tenendum ac perpetuo possidendum pro se et successoribus suis ibidem in vita^a heremitorum volentibus commorari et vitam tenentibus heremitorum. Quam donationem predicti donatores, traditores et concessores, pro eis et heredibus suis, omni tempore ratam et firmam habere promiserunt, renuntiantes in hoc omni iuri et actioni eorum, quod et quam haberent vel habere sperarent et possent in ecclesia predicta, terris et ortis predictis, pro revocanda donatione predicta. Et cum scirent predicti donatores nos non esse suos iudicem et notarium, in nos tamquam in suos iudicem et notarium consentierunt expressim. Actum in predicta ecclesia Sancte Marie de Murron(e), anno, mense, die et indictione pretitulatis. Unde ad futuram memoriam et predicti fratris Petri cautelam, presens scriptum publicum, rogantibus donatoribus supradictis, confectum est exinde per manus^a mei Mathei^a notarii supradicti, subscriptione mei notarii, mei predicti iudicis et testium roboratum. Quod scripsi ego prefatus Matheus^a Gesmundi, auctoritate regia publicus Sulmonis notarius, id in formam publicam redigens, de communi predictorum contrahentium voluntate, ipsumque signo proprio consignavi. (S)

§ Ego qui supra Franciscus, presentis anni Sulmonis iudex interfui et subscripsi. (S)

§ Ego Benevenutus Egidii rogatus testis hiis omnibus interfui et subscripsi. (S)

§ Ego Ray(naldus) Deodati rogatus testis interfui et signum feci. (S)

§ Ego Anastasius^a de Sulm(ona) rogatus testis hiis omnibus interfui et subscripsi. †

a) Così.

10.

† In Dei nomine, amen. Anno nativitatis eius millesimo ducesimo sexagesimo tertio, mense septembris, octavo eiusdem sexte indictionis. Regnante domino nostro Manfr(edo), Dei gratia inclito Sycilie rege, regni eius anno quinto. Feliciter, amen. Coram me Francisco, Sulmonis iudice, et in presentia Mathei Gesmundi, publici eiusdem terre notarii, et testium subscriptorum ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum, videlicet Benevenuti^a Egidii, Rayn(aldi) Deodati, Anastasii^a de Sulm(ona) et Gualterii Amodei^a de Ursa, dominus Ber(ardus), dominus Gualt(erius) et dominus Odder(isius) de Aczano, pro eis et heredibus suis, iure proprio, dederunt, tradiderunt et concesserunt, donatione inter vivos, fratri Petro, vicepriori et heremite Magelle, et successoribus eius, in perpetuum, omnem proprietatem et actionem quam habent vel habere sperarent et possent in ecclesia Sancte Marie de Murron(e), terris et ortis, cultis et incultis, subiacentibus eidem ecclesie, ab una parte cuius ecclesie et terrarum cultorum et ortorum incultorum est via Murronis que vadit a Vallon(e) Vellaneti, a pede usque ad fontem Urse, ab alia est via que ascendit a fonte usque ad Castellionem et transit per Macclas usque ad verticem montis sicut aqua pendit vel decurrit citra in quo vertice montis sunt confines illorum de Caramanico sicut aqua pendit ultra usque ad petram Gavetam et ab alia est Vallonus Vellaneti quantum ascendit et in descensu usque ad viam Vellaneti que vadit ad predictum fontem et siqui alii sunt confines terrarum, ortorum, cultorum et incultorum, et predicte ecclesie et tendimenti^a. Ad habendum, tenendum ac perpetuo possidendum pro se et successoribus suis ibidem in vita heremitorum volentibus commorari et vitam tenentibus heremite. Quam donationem predicti donatores, traditores et concessores, pro eis et heredibus suis, omni tempore ratam et firmam habere promiserunt, renuntiantes in hoc omni iuri et actioni eorum, quod et quam haberent vel habere sperarent et possent in ecclesia, tendimentis, terris et ortis predictis, pro revocanda donatione predicta. Et cum scirent predicti donatores nos non esse suos iudicem et notarium, in nos, tamquam in suos iudicem et notarium, consensierunt expressim. Actum in predicta ecclesia Sancte Marie de Murron(e), anno, mense, die et indictione pretitulatis. Unde ad futuram memoriam et predicti fratris Petri cautelam, presens scriptum publicum, roogantibus^a donatoribus supradictis, confectum est exinde per manus^a mei Mathei^a notarii supradicti, subscriptione mei notarii, mei predicti iudicis et testium roboratum. Quod scripsi ego prefatus Matheus^a Gesmundi, auctoritate regia publicus Sulmonis notarius, id in formam publicam redigens, de communi predictorum contrahentium voluntate, ipsumque signo proprio consignavi. (S)

§ Ego qui supra Franciscus, presentis anni Sulmonis iudex, interfui et subscripsi. (S)

§ Ego Benevenutus Egidii, rogatus testis, hiis omnibus interfui et subscripsi. (S)

§ Ego Ray(naldus) Deodati, rogatus testis, interfui et signum feci. (S)

§ Ego Anastasius^a de Sulm(ona), rogatus testis, hiis omnibus interfui et subscripsi.

†

a) Così.

11.

Clemens episcopus servus servorum Dei. Universis Christi fidelibus per Valven(sem), Theatin(am) et Marsican(am) civitates et dioceses constitutis salutem et apostolicam benedictionem. Quoniam, ut ait apostolus, omnes stabimus ante tribunal Christi recepturi prout in corpore gessimus sive bonum fuerit sive malum, oportet nos diem messonis extreme misericordie operibus prevenire ac eternorum intuitu seminare in terris quod reddente Domino cum multiplicato fructu recolligere debeamus in celis firmam spem fiduciamque tenentes, quoniam qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet vitam eternam. Sane dilecti filii . . . priori et fratres heremi de Magella, Theatin(e) dioc(esis), et aliorum locorum eidem heremo subiectorum, Ordinis Sancti Benedicti, pro consequenda dulcedinis retributione mirabilis quam se timentibus abscondit divine sublimitas maiestatis, elegerunt, sicut accepimus, habitare in occultis et remotis locis nemorum atque montium et Christo pauperi, sub extrema paupertate vitaeque asperrima, devotum impendere famulatum. Cum itaque dilecti filii . . . prior et fratres heremi de monte Morrone, predicto heremo de Magella subiecti, ipsius Ordinis, Valven(sis) dioc(esis), sicut iidem nobis significare curarunt, ecclesiam ipsius heremi, in honore sancte Marie, edificare de novo inceperint opere sumptuoso et, pro construenda eadem ecclesia, fidelium indegirint subsidiis adiuvari, universitatem vestram rogamus et hortamur in Domino in remissionem vobis peccaminum iniungentes quatinus de bonis vobis adeo collatis pias eis ad hoc elemosinas et grata caritatis subsidia erogetis, ut per subventionem vestram opus huiusmodi valeat consummare et vos per hec et alia bona, qui Domino inspirante feceritis, ad eterne possitis felicitatis gaudia pervenire, nos enim, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui eis ad id manum porrexerint adiutricem, centum dies de iniuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus. Presentibus post triennium minime valituris, quas mitti per questuarios districtius inhibemus eas si secus actum fuerit carere viribus decernentes. Dat(um) Viterbii .V. kalendas iunii, pontificatus [nostri] anno quarto.

(BD)

12.

In Dei nomine, amen. Nos Federicus de Tullo, dominus Manuppelli, devotionem Sancti Spiritus fragrantem in pectore et premeditantes quod inter cetera que de amplificatione vite celestis et custodia anime per Christi fideles compensantur et fiunt dum mundane conversationis fluctibus agitantur potissimum esse dignoscimur, locis venerabilibus divino cultui deputatis elemosinarum largitione prompto animo providere et in possessionibus specialiter quarum fructibus divina misteria et sacrificia offeruntur pure, libere et simpliciter inter vivos, pro anima nostra et redemptione peccatorum nostrorum et quondam domini comitis Gualterii de Manuplello^a, avi nostri memorie recolende, donamus, tradimus et concedimus ecclesie Sancti Spiritus de Magella, cui preest venerabilis vir frater Petrus de Murrone, et fratri Placito heremite et servienti Deo in dicta ecclesia, recipienti nomine et pro parte dicte ecclesie, res et possessiones subscriptas, videlicet vineam unam nostram positam in territorio Roccemorici, ab una parte cuius est via publica, ab alia tenet ecclesia Sancti Georgii et ab alia tenet Petrus de Morico; vicennam unam positam in eodem territorio dicte Rocce, ab una parte cuius est via publica et ab alia sunt Rupes; item ius patronatus si quod habemus in ecclesia Sancti Georgii, sita in territorio et districtu dicte Rocce, cum omnibus iuribus et pertinentiis ad nos in quoquomodo spectantibus; item in Manuplello^a vasallum unum, videlicet Laurentium Roberti Iohanni Bernardi, cum omnibus rebus stabilibus ipsius et omni servitio quod nobis prestare et facere tenetur; item in Tocco quendam hominem, qui Coni vocatur, et omnes res suas emptitias quas tenet a nobis, ita videlicet quod, ipsis Laurentio et Cono sine prole legitima deficientibus, omnia eorum bona libere obveniant ecclesie Sancti Spiritus supradicte. Damus etiam similiter et libere concedimus eidem ecclesie Sancti Spiritus et predicto fratri Placito, recipienti pro parte et nomine eiusdem ecclesie, plenum ius et liberam facultatem pascuorum pro quorumlibet animalium ipsius ecclesie usibus sumendorum, tam in montibus quam in planis, pratis et silvis, et aquarum fontium, fluminum, lignorum, siccorum et viridum, pro edificiis et aliis oportunis, usum et comoditatem habendi, capiendi et recipiendi; necnon construendi, edificandi et reedificandi balcatoria et molendina et aquam derivandi et ducendi ad ea ubique in nostro et nostrorum subditorum hominum dominio et districtu. Ad maioris quoque mercedis cumulum, universis et singulis subditis et hominibus nostris de rebus eorum mobilibus et stabilibus, emptitiis, liberis et servitiis etiam obligatis, prout eis placuerit pro animarum suarum salute, predicte ecclesie Sancti Spiritus seu predicto fratri Petro dandi, vendendi, permutandi, conferendi et relinquendi, inter vivos seu in ultimis voluntatibus, liberam potestatem in perpetuum tenore presentium et plenariam libertatem duximus concedendam. Preterea donationes, concessionem et immunitates quaslibet factas predicte ecclesie et predicto fratri Petro et fratribus suis per predictum quondam dominum comitem avum nostrum ratificamus, concedimus et confirmamus ipsasque volumus omni tempore ratas et firmas manere. Que omnia et singula supradicta, pro nobis nostrisque successoribus, Deo et predicte ecclesie ac vobis predicto fratri Placito, nomine ipsius ecclesie recipienti, promittimus rata et firma omni tempore habere atque tenere et in nullo per nos vel per alios unquam contra facere vel venire. Ad cuius rei fidem et perpetuam firmitatem et predicte ecclesie et fratri Petro et fratribus suis cautelam, presens scriptum inde fieri fecimus nostro pendenti sigillo munitum. Actum in Casale Comitum, in domo iudicis Ray(naldi) de

Casale, anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo, mense septembris, die sextodecimo eiusdem decimequarte indictionis.

a) Così.

13.

Religioso viro et honesto fratri Theodino, Dei gratia abbati Balminaci^a, eorum amico karissimo, capitulum basilice Principis apostolorum de Urbe salutem in Domino. Cum ecclesiam Sancti Georgii de Roccamorici^a, Placito et Iohanni, fratribus Ordinis Sancti Spiritus de Magella, nomine dicti Ordinis, cum omnibus suis iuribus et pertinentiis, duxerimus concedendam, sicut apparet puplico^a instrumento inter nos et ipsos confecto, mandamus vobis quatinus ad eundem locum, vos personaliter conferentes eosdem exinde investire curetis. Data anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo primo kalend(is) februarii quarte decime indictionis, apostolica sede vacante.

a) Così.

14.

† Anno dominice incarnationis Iesu Christi millesimo ducentesimo septuagesimo primo, regnante domino nostro Karolo, Dei gratia inclito rege Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue, alme Urbis senatore, Andeg(avie), Provincie et Forcalquer(ii) comite ac per Sanctam Romanam Ecclesiam romani imperii in Tuscia vicario generali, regni eius anno sexto. Feliciter. Die sabbati ultimo mensis februarii quarte decime indictionis, ad ecclesiam Sancti Georgii de Rocca Morici. Coram nobis, Matheus Ferracabally, Manuppelli iudice, Petro Iohannis, publico Manuppelli notario, et subscriptis testibus ad hoc vocatis specialiter et rogatis, videlicet iudice Rogerio de Rocca Morici, dompno Petro magistri Riccardi, dompno Thomasio Pauli, dompno Gualterio cappellano Sancti Donati, dompno Berardo, diacono Riccardo, magistro Gualterio pictore, magistro Gentile pictore, Raynaldo Robberti, Robberto Angeli, Riccardo Berardi, Iohanne Erasmi, Andrea Iohannis dompni Iohannis, Riccardo Petri Alberti, Thomas(io) de Furcap(etu)la, Ray(naldo) Iohannis Morici et Laurentio Passe de Manuppello, vir nobilis dominus Theodinus, venerabilis abbas Sancte Marie de Volminaco^a, ostendit, legit et legi fecit quoddam mandatum sibi directum et missum per capitulum basilice Principis apostolorum de Urbe, cui predictam ecclesiam Sancte Marie subesse dicebat, sigillo albe cere sigillatum, in quo sigillo erat impressa quedam ymago humana, cuius destra tenabat clavem, sinistra vero crucem, quod mandatum, sic sigillatum, absque

omni vitio et vituperatione vidimus et legimus oculata fide, cuius tenor de punto^a ad puntum^a per omnia talis erat <cf. n. 13>. Quo mandato, aperto, lecto, viso et intellecto, dictus dominus abbas, volens illud devote et reverenter executioni mandare, dictum fratrem Placitum possessione dicte ecclesie Sancti Georgii, cum omnibus suis iuribus et pertinentiis, investivit ac ipsum exinde in corporalem possessionem induxit, pro parte et nomine dicte ecclesie Sancti Spiritus de Magella ac Ordinis eiusdem ecclesie. Ad cuius rei memoriam et cautelam perpetuam dicte ecclesie Sancti Spiritus et fratrum eiusdem, presens in(de) publicum scriptum per manus mei Petri notarii, dicti abbas et frater Placitus rogaverunt fieri et signo meo signavi et subscripti mei Mathei iudicis ac predictorum testium subscriptionibus roborari, consentient(es) in nobis iudice et notario tamquam in suis iudice et notario, cum scirent nos suos iudicem et notarium in hac parte non esse. Quod scriptum publicum ego qui supra Petrus Iohannis, auctoritate regia publicus Manuppelli notarius, feci et meo signo solito signavi. (S)

Ego qui supra Matheus Ferracabally iudex Manuppelli subscripsi. (S)

Ego qui supra Rogerius iudex Rocce Morici predictis interfui et signum feci. †

§ Ego qui supra dompnus Thomas testis sum. †

§ Ego qui supra dompnus Gualterius testis sum. †

§ Ego qui supra dompnus Berardus testis sum. †

§ Ego qui supra diaconus Riccardus predictis interfui et subscripsi. (S)

§ Ego qui supra Gualterius pictor predictis interfui et subscripsi. (S)

§ Ego qui supra Gentilis pictor predictis interfui et subscripsi. (S)

§ Ego qui supra notarius Petrus huius rei testis sum. †

† Signum crucis proprie manus Roberti Angeli qui supra testis.

Signum crucis proprie manus Andree Iohannis dompni Iohannis qui supra testis. †

Signum crucis proprie manus Ray(naldi) Iohannis Morici qui supra testis. †

Signum crucis proprie manus Iohannis Erasmi qui supra testis. †

Signum crucis proprie manus Thom(e) de Furcapetula qui supra testis. †

† Signum crucis proprie manus Laur(entii) Passe qui supra testis.

a) Così.

15.

In^a anno dominice incarnationis Iesu Christi millesimo ducentesimo septuagesimo primo^b, regnante domino nostro Carolo, Dei gratia inclito rege Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue, alme Urbis senatore, Andegavie, Provincie et Forchalquerii comite ac per Sanctam Romanam Ecclesiam romani imperii in Tuscia vicario generali, regni eius anno sexto. Feliciter. Die dominico, primo mensis martii quaterdecime indictionis, apud Roccam Morici, in domo domni Thomasii. Coram nobis, Mattheo Ferracaballi, Manuppelli iudice, Petro Iohannis, publico Manuppelli notario, et subscriptis testibus ad hec vocatis specialiter et rogatis, videlicet Rogerio d(omi)ni Iacobi de Turre, diacono Riccardo, domno Bernardo, magistro Gualterio pictore, Riccardo Berardi, Petro magistri Roberti, Berardo Granelli, magistro Rainaldo Roberti, Iohanne Erasmi, Laurentio Passe

de Manuppello et aliis pluribus hominibus ibidem astantibus, Beamundus filius olim Nicolai, Iacobus notarii Rogerii, domnus Petrus magistri Riccardi, Iohannes Gualterii, Iacobus Amici, Petrus de Morico, Robertus et Gualterius Petri, Blasius, Marcus, Andreas, Robertus Angeli, Thomas Gualterii Angeli, Petrus Simeonis, Maria de Antochia, Petrus Alberti, Iohannes Alperici, Gualterius Alperici, domnus Petrus de Sancto Georgio, Berardus Matthei, Iohannes Fornarii, Bartholomeus Petri et Berardus Rainaldi, patroni sive ius patronatus habentes ecclesie Sancti Georgii site in territorio Rocce Morici, sancti Spiritus subfulti gratia in eorum mentibus prelibantes et revolentes quod inter alia divinis affecti^a placenda locis piis ac venerabilibus de bonis sibi a Deo concessis officium porrigere caritatis pro primo habetur iure precipuum ut frequenti in bonis Deo collatis religiosorum et honestorum virorum usu habito Dei domus clarescat lucidius et iuge sacrificium quod ibi offertur et celebratur in conspectu maiestatis divine ad externationem peccatorum viventium prosit et veniam defunctorum, donaverunt, tradiderunt e concesserunt vel quasi fratri Placito eremite ecclesie Sancti Spiritus de Maiella, nomine et pro parte ipsius ecclesie et fratrum ibidem Deo servientium, pure, libere et simpliciter inter vivos, ius patronatus ecclesie predicte Sancti Georgii et rerum suarum quo in eadem ecclesia Sancti Georgii habebant. Ad habendum, tenendum et perpetuo possidendum vel quasi, cum omnibus iuribus et rationibus eis perinde de iure vel de facto competentibus et competituris pro anima sua vel animabus suorum et suorum parentum et remissione peccatorum suorum, inducentes eundem fratrem Placitum, pro parte et nomine dicte ecclesie Sancti Spiritus in corporalem possessionem vel quasi iuris patronatus dicte ecclesie Sancti Georgii et promiserunt eidem fratri Placito, solemniter stipulanti, nullam lite et nullam questionem de predicta causa movere vel facere sed eam donationem, traditionem et concessionem predicti sui iuris patronatus predicte ecclesie Sancti Georgii quod in ea habebant omni tempore ratam et firmam pro se et suos liberos et heredes vel successores dicto fratri Placito pro parte et nomine dicte ecclesie Sancti Spiritus et fratrum ibidem morantium tenere et habere et in nullo contra facere vel venire, occasione aliqua vel exceptione quibus adversus dictam donationem aliquo tempore possent contra facere vel venire vel forte tueri. Ad cuius rei memoriam et cautelam perpetuam dicte ecclesie Sancti Spiritus et fratrum eiusdem ibidem Deo servientium tam presentium quam futurorum presens inde publicum scriptum per manus mei Petri notarii predicti donatores et idem frater Placitus rogaverunt fieri et signo meo signavi et subscriptione mei Matthei iudicis ac predictorum testium subscriptionibus roborari, consentientes in nobis iudice et notario, cum scirent nos suos iudicem et notarium in hac parte non esse. Quod scriptum publicum ego qui supra Petrus Iohannis auctoritate regia publicus Manuppelli notarius feci et signo meo signavi^c.

Ego qui supra Mattheus Ferracaballi iudex Manuppelli subscripsi.

Ego qui supra Rogerius d(omi)ni Iacobi hoc testor.

Ego qui supra diaconus Riccardus predictis interfui et subscripsi.

Ego qui supra d(omi)nus Bernardus hoc testor.

Ego qui supra Gualterius pictor hoc testor.

Ego qui supra Riccardus Bernardi hoc testor.

Ego qui supra Petrus magistri Roberti predictis omnibus interfui et hoc signum manu mea feci. †

Signum crucis proprie manus Bernardi Granelli qui supra testis illiterati. †

Signum crucis proprie manus magistri Rainaldi Roberti qui supra testis illiterati. †

Signum crucis proprie manus Iohannis Erasmi qui supra testis illiterati. †
Signum crucis proprie manus Laurentii Passe qui supra testis illiterati. †

a) Così. b) Z: .1271. c) Z: loco † signi notarii.

16.

† Anno dominice incarnationis Iesu Christi millesimo ducentesimo septuagesimo primo, regnante domino nostro Karolo, Dei gratia inclito rege Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue, alme Urbis senatore, Andeg(avie), Provincie et Forcalquer(ii) comite ac per Sanctam Romanam Ecclesiam romani imperii in Tuscia vicario generali, regni vero eius anno sexto. Feliciter. Die martis, tertio mensis martii quaterdecime indictionis, in ecclesia Sancti Martini ad plebem, Theatine diocesis. Coram nobis, Matheo Ferracably, Manuppelli iudice, Petro Iohannis, publico Manuppelli notario, et subscriptis testibus ad hoc specialiter vocatis et rogatis, videlicet dompno Petro magistri Riccardi, diacono Riccardo, dompno Thomasio Pauli, magistro Gualterio pictore, dompno Gualterio cappellano, magistro Gentile pictore, Riccardo Petri Alberti, Nicola de Taliaferro de Sancto Martino, Petro de Morico, Robberto Angeli, Raynaldo Petri, Iacobo Petri, Laurentio Passe, magistro Riccardo de Caramanico ac aliis pluribus hominibus hoc audientibus et videntibus. Cum inter d(omi)num Landulfum, venerabilem abbatem Sancti Martini ad plebem, et Capitulum clericorum eiusdem ecclesie, nomine ipsius ecclesie, ex parte una, et ecclesiam Sancti Spiritus de Magella et fratres eiusdem ecclesie, pro parte et nomine ipsius ecclesie, ex altera, super ecclesia Sancti Georgii, sita in territorio Rocce Morici, et pertinentiis eiusdem, eiusque subiectione tam in temporalibus quam in spiritualibus et specialiter in procuracione habenda a dicta ecclesia Sancti Georgii, visitacione, constitutione, ordinatione et concessione cappellanorum et clericorum faciendis per dictum abbatem et clericos dicte ecclesie Sancti Martini, pro parte et nomine eiusdem ecclesie, in dicta ecclesia Sancti Georgii, necnon et aliis iuribus et rebus aliis que ad ipsos et dictam ecclesiam Sancti Martini, tam de iure quam de approbata consuetudine, pertinere rationabiliter asserebant in dicta ecclesia Sancti Georgii orta esset [...] ^a communium inter [...] patronorum etiam ipsius ecclesie Sancti Georgii ad id accedente consensu ad infrascriptam conventionem et compositionem amicabilem [...] ^b predicti abbas [et canonici] seu clerici recognoscentes et dilucide profitentes predictam ecclesiam Sancti Georgii, cum prefatis rebus et iuribus, ad dictam ecclesiam Sancti Spiritus et fratres ipsius plene et rationabiliter pertinere ac subesse debere ex collacione et concessione venerabilis Capituli basilice Principis apostolorum de Urbe, cuius iuris dicta ecclesia Sancti Georgii censebatur, eandem ecclesiam Sancti Georgii, cum predictis rebus et iuribus sepedictis, fratribus et ecclesie Sancti Spiritus de Maiella in pace et libere dimictentes eorum bona et spontanea voluntate, pro se et pro parte et nomine dicte ecclesie Sancti Martini eorumque successorum, refutaverunt, quietaverunt et totaliter remiserunt fratri Placito, heremite dicte ecclesie Sancti Spiritus, procuratori seu syndico vel actori, ut plene constitit, pro parte et nomine ipsius ecclesie stipulanti et paciscenti ac recipienti predicta

nomine ecclesie supradicte, omnem actionem realem et personalem, utilem et directam et quamlibet aliam omneque ius vel quasi in dicta ecclesia et rebus et iuribus supradictis sibi competentia et competitura per pactum similiter remiserunt. Et ad maiorem cautelam, pro remissione peccatorum suorum et substentatione dictorum fratrum et ipsorum religionis obtentu, siqua iura eius competerent vel competere possent in rebus eisdem et ecclesia predicta Sancti Georgii, cum ex hoc nulla vel modica lesio sequeretur, plene concesserunt et sollempniter contulerunt et exinde dictam ecclesiam Sancti Georgii et fratres eiusdem in perpetuum liberaverunt et sollempniter absoluerunt. Promittentes de cetero omnia et singula supradicta rata et firma semper habere et in nullo contra venire, per se vel per alium, ex aliqua occasione vel causa, renuntiando omni iuri consuetudinario, canonico et civili et constitutionis omnisque restitutionis in integrum et cuiuslibet alterius beneficio auxilii per quod contra predicta vel aliquod predictorum per se vel per alium possent facere vel venire. Ad cuius rei memoriam et cautelam perpetuam predicte ecclesie Sancti Spiritus et Sancti Georgii ac fratrum earundem predicti abbas et clerici sive canonici predicte ecclesie Sancti Martini et predictus frater Placitus presens scriptum publicum per manus mei Petri notarii rogaverunt fieri et signo mei nominis consueto signavi et subscriptione mei Mathei iudicis, predictorum testium et predictorum abbatis et clericorum sive canonicorum dicte ecclesie Sancti Martini subscriptionibus, roborari. Consentientes dictus abbas et clerici sive canonici dicte ecclesie Sancti Martini et predictus frater Placitus in nobis iudice et notario tamquam in suis iudice et notario, cum scirent nos suos iudicem et notarium in hac parte non esse. Quod scriptum publicum ego qui supra Petrus Iohannis auctoritate regia publicus Manuppelli notarius feci et signo mei nominis consueto signavi. (S)

Ego qui supra Adenulphus, abbas Sancti Martini ad plebem [et] canonicus Theatinus, predicta omnia fateor et subscripsi. (S)

Ego qui supra Matheus Ferracabally iudex Manuppelli subscripsi. (S)

Ego qui supra diaconus Riccardus predicti testis interfui et subscripsi. (S)

Ego qui supra dompnus Thomas testis sum. †

Ego qui supra Gualterius pictor predictis interfui et subscripsi. (S)

Ego qui supra dompnus Gualterius capellanus predictis interfui et subscripsi. †

Ego qui supra Gentilis pictor predictus^c interfui et subscripsi. (S)

Ego qui supra Riccardus Petri predictis interfui et subscripsi. †

Ego dompnus Petrus, prior et canonicus ecclesie Sancti Martini, predictis consensi, interfui et subscripsi. †

Ego dompnus Riccardus, ecclesie Sancti Martini canonicus, predictis consensi interfui et subscripsi. †

Ego Rogerius, canonicus dicte ecclesie Sancti Martini, predictis consensi et subscripsi. †

Ego Adenolfus^c, canonicus dicte ecclesie Sancti Martini, predictis consensi et subscripsi. †

Signum crucis proprie manus Petri de Morico qui supra testis illicterati. †

Signum crucis proprie manus Ray(naldi) Angeli qui supra testis illicterati^d.

Signum crucis proprie manus Laur(entii) Passe qui supra testis illicterati. †

Signum crucis proprie manus Roberti Angeli qui supra testis illicterati. †

Signum crucis proprie manus Iacobi Petri qui supra testis illicterati. †

† Signum crucis proprie manus Ricc(ardi) de Caram(anico) qui supra testis illicterati.
† Signum crucis proprie manus Nicolai Taliaferri qui supra testis illicterati. †

a) Lacuna di ca. 18 caratteri. b) Lacuna di ca. 20 caratteri. c) Così. d) Manca il *signum crucis*.

17.

Frater Nicolaus divina permissione Aquilen(sis) episcopus religiosis viris fratri Petro de Murrone et abbati monasterii Sancti Spiritus de Maiella et conventui eiusdem, diocesis Theatin(e), tam presentibus quam futuris, ordinis sancti Benedicti, salutem in Domino sempiternam. Religiosa loca et piis ac divinis deputata obsequiis tanquam minister, licet indignus, pontificalis officii benigno favore prosequimur et tanto liberalius iuxta nostre possibilitatis instantiam ea in visceribus caritatis amplectimur quanto provide apud regem regum ad quem nostra aspirat intentio misericordiam consequi affectamus. Ea propter nos religionis vestre merita debite attentionis oculo intuentes, pie ac humili petitioni vestre benigno concurrentes assensu, de spontanea voluntate et assensu totius capituli nostri, oratorium vel ecclesiam, quod per vos de novo construitur ad honorem beate Marie Virginis gloriose et beati Benedicti, cuius ordinem et habitum profitemini in territorio civitatis Aquile in loco ubi dicitur Collemaiu, cum omnibus bonis qui nunc habet et possidet et que auxiliante Domino in futurum poterit adipisci et personas vestras et fratrum vestrorum ibidem commorantium et que erunt ibidem inantea perpetuo morature plena volumus libertate gaudere. Et ut plena libertate gaudere possitis pro salute animarum vestrarum et maius bonorum vestrorum operum incrementum tam a lege diocesana quam a lege iurisdictionis ac ab omni episcopali iure et cuiuslibet obligatione conditionis tam in temporalibus quam spiritualibus auctoritate presentium pleno iure prorsus eximimus, quod nec etiam cathedratici, visitationis, procurationis et correctionis pretextu seu aliqua alia ratione vel causa per nos et successores nostros a predicta ecclesia vel a vobis fratribus ac successoribus vestris ibidem successive perpetuo commorantibus aliquid exigatur; et quod excommunicari, interdici vel suspendi, ad synodum vocari vel ad placitum trahi a nobis nostrisque successoribus vobis invitatis nullatenus valeatis. Salvo tamen quod cum interdicitum fuerit generale a vobis sicut et aliis lege diocesana subiectis volumus observari. Si vero aliquis Aquilen(sis) vel diocesanus noster vel aliqua in eadem ecclesia sancte Marie sibi elegerint sepulturam in hiis que eidem ecclesie erogaverint ecclesiis a quibus predictorum corpora assumuntur iustitiam debitam conservamus. Pro quibus omnibus supradictis vos predicti fratres per vos et successores vestros pro parte et nomine eiusdem ecclesie nomine pensionis vel census libram unam cere tantum annuatim in festo beati Maximi eidem episcopi sponte dare perpetuo promisistis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre exemptionis, concessionis et confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei, beate Marie semper Virginis gloriose, beatorum Petri et Pauli apostolorum ac beatorum Maximi et Gerorgii quorum patrocinio

confovemur se noverit incursum. Apostolice sedi humiliter supplicantes ut que superius indulsum confirmare dignetur. In cuius rei testimonium et evidentiam plenior presens exemptionis, concessionis et confirmationis privilegium inde vobis fieri fecimus nostri ac ipsius capituli sigilli munimine communitum. Actum est hoc Aquile in ecclesia Aquilen(sis) in anno Domini .MCC. octuagesimo septimo, die sexto, mensis octobris, prime indictionis, Apostolica sede vacante.

18.

Iacobus Dei gratia Treventin(us) episcopus religiosus viris fratri Petro de Murrone et abbati monasterii Sancti Spiritus de Maiella et conventui eiusdem, diocesis Theatin(e), tam presentibus quam futuris, ordinis sancti Benedicti, salutem in Domino sempiternam. Religiosa loca et piis ac divinis deputata obsequiis tanquam minister, licet indignus, pontificalis officii benigno favore prosequimur et tanto liberalius iuxta nostre possibilitatis instantiam ea in visceribus caritatis amplectimur quanto provide apud regem regum ad quem nostra aspirat intentio misericordiam consequi affectamus. Ea propter nos religionis vestre merita debite attentionis oculo intuentes, pie ac humili petitioni vestre benigno concurrentes assensu, de spontanea voluntate et assensu totius capituli nostri, oratorium vel ecclesiam, quod per vos de novo construitur ad honorem beate Marie Virginis gloriose et beati Benedicti, cuius ordinem et habitum profitemini in territorio civitatis Treventi in loco ubi dicitur Monte Plano, cum omnibus bonis qui nunc habet et possidet et que auxiliante Domino in futurum poterit adipisci et personas vestras et fratrum vestrorum ibidem commorantium et que erunt ibidem inantea perpetuo morature plena volumus libertate gaudere. Et ut plena libertate gaudere possitis pro salute animarum vestrarum et maius bonorum vestrorum operum incrementum tam a lege diocesana quam a lege iurisdictionis ac ab omni episcopali iure et cuiuslibet obligatione conditionis tam in temporalibus quam spiritualibus auctoritate presentium pleno iure prorsus eximimus, quod nec etiam cathedralis, visitationis, procurationis et correctionis pretextu seu alia quacumque ratione vel causa per nos et successores nostros a predicta ecclesia vel a vobis fratribus ac successoribus vestris ibidem successive perpetuo commorantibus aliquid exigatur; nec excommunicari, interdici vel suspendi, ad synodum vocari vel ad placitum trahi a nobis nostrisque successoribus vobis invitatis nullatenus valeatis. Salvo tamen quod cum interdictum fuerit generale a vobis sicut et aliis lege diocesana subiectis volumus observari. Si vero aliquis Treventin(us) vel diocesanus noster vel aliqua in eadem ecclesia sancte Marie sibi elegerint sepulturam in hiis que eidem ecclesie erogaverint ecclesiis a quibus predictorum corpora assumuntur iustitiam debitam conservamus. Pro quibus omnibus supradictis vos predicti fratres per vos et successores vestros pro parte et nomine eiusdem ecclesie nomine pensionis vel census libras tres cere tantum annuatim in festo beatorum martirum Nazarii et Celsi eidem episcopo sponte dare perpetuo promisistis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre exemptionis, concessionis et confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei, beate Marie semper Virginis gloriose,

beatorum Petri et Pauli apostolorum ac beatorum martirum Nazarii et Celsi quorum patrocinio confidemur se noverit incursum. Apostolice sedi humiliter supplicantes ut que superius indulsum confirmare dignetur. In cuius rei testimonium et evidentiam plenioris presens exemptionis, concessionis et confirmationis privilegium inde vobis fieri fecimus nostri ac ipsius capituli sigilli munimine communitum. Actum est hoc Treventi in ecclesia Treventin(a) in anno Domini .MCC. nonagesimo, die vigesimo nono, mensis novembris, quarte indictionis, pontificatus domini Nicolai pape quarti anno tertio.

19.

Capitulum basilice Principis apostolorum de Urbe. Venerabilibus et religiosis viris fratri Onufrio, abbati monasterii Sancti Spiritus de Sulmona, Ordinis Sancti Benedicti, Valven(sis) dioc(esis), eiusque fratribus, tam presentibus quam futuris, regularem vitam professis. In perpetuum. Etsi caduca sint omnia et temporis diuturnitate labantur, sunt tamen, ex omnibus aliqua, perpetue stabilitati connexa ea videlicet que ad incrementum religionis pertinent et ad virtutum spectare dinoscuntur ornatum, quatenus religiosorum quies ab omni sit perturbatione secunda et a iugo mundane oppressionis illesa permaneat, cum soli fuerit Sedi Apostolice immediate subiecta. Quod si benemeritis ampla munificentia principum obsequiorum munera retribuere consuevit et debet multo fortius religiosis personis et locis regis regum zelo cui deserviunt, largiora benefici debet impendere a quo cuncta que optinent, se noverint gratuito recepisse, cum itaque virtutum Domino devotis et humilibus mentibus exhibeatis religiose ac iugiter famulatum. Nos ob vere religionis zelo quem habere ditimini et consideratione sanctissimi domini nostri, domini Celestini, divina providentia Sacrosancte Romane Ecclesie presentis summi pontificis, predicti monasterii vestri Sancti Spiritus fundatoris, precipui et prefati apostolorum principis, patroni nostri, re ac nomine successoris, ad vos vestrumque Ordinem sincere gerentes caritatis et precipue dilectionis affectum in hiis que vestrum et dicti monasterii nec non totius religionis vestre augmentum et prosperum statum respiciunt quantum cum Deo possumus nos favorabiles exhibemus. Qua propter, venerabiles fratres et filii, vestris petitionibus benigno annuentes affectu, prefatum monasterium Sancti Spiritus, cum monasterio Sancti Spiritus de Magella, Theatine diocesis, ac personis in eis degentibus, presentibus videlicet et futuris, ex certa nostra scientia et liberalitate mera, absolvimus, quietamus et liberamus quinimmo absolutum, quietum et liberum propitiamus, reddimus et facimus, ab omnibus submissionibus, censibus et redditibus in quos et quas vos et predecessores vestri nobis et predictae nostre basilice in quibuscumque tenemini obligati et precipue ex submissione facta, ut dicitur, per predecessores vestros nobis predecessoribus et successoribus nostris de vobis et monasteriis antefatis, ita quod nos et successores nostri, nec per nos ipsos nec per alios, possumus, de iure vel de facto, in vobis et successoribus vestris ac predictis monasteriis, visitationis, correctionis, confirmationis, renuntiationis, institutionis, destitutionis, amotionis, census seu debiti vel alterius cuicumque rei quavis occasione vel causa, de iure vel de facto, ius aliquod exercere quinimmo, predictis

omnibus iuribus et actionibus nobis, ex causa dicte submissionis vel alia quavis competentibus et competituris, pro nobis et successoribus nostris, renuntiamus expresse ac libere et in vos ac vestros successores ius omne, quod habemus in vos et predicta monasteria quacumque iure vel causa, transferimus et vobis damus, donamus, tradimus et concedimus liberaliter et ex toto, nichil nobis et nostris successoribus penitus reservantes predictamque submissionem, per vos et vestros predecessores factam nobis et dicte nostre basilice quatenus de facto vel de iure, processit vobis et vestris in dictis monasteriis successoribus, renuntiantes de iure vel de facto expresse. Preterea ecclesiam Sancti Georgii de Roccamorici, Theatine diocesis, ad nos et dictam nostram basilicam, de iure vel de facto spectantem, ut dicitur, ad vestre ac religionis vestre reverentie cumulum, cum omnibus iuribus, rationibus et pertinentiis suis et omne ius ac omnem actionem necnon dominium quam et que habemus in ea directe vel indirecte, de iure vel de facto, ex certa nostra scientia et liberalitate mera in perpetuum damus, donamus, tradimus et concedimus predicto monasterio Sancti Spiritus de Magella ad substentationem fratrum morantium in eodem, et eadem et eidem monasterio, in quantum possumus, cōvinimus libere, pure ac simpliciter donationis titulo vel alio quolibet quo melius valere possit, secundum Deum vel canonica instituta, ita quod nos et successores nostri, nullum censum, nullum ius, nullam actionem, nullum debitum nullumve dominium possimus petere, extorquere vel exigere seu etiam exercere, de iure vel de facto, in predicta ecclesia Sancti Georgii, fratribus, prelatis et subditis presentibus videlicet ac futuris consistentibus in eadem, non obstantibus donatione, oblatione, traditione ac investitione factis nobis et dicte nostre basilice forsitan hactenus per quoscumque seu confirmatione, ratificatione, acceptatione, privilegio, comuni seu etiam speciali, secutis forte postmodum sub quacumque forma vel conceptione verborum de monasteriis et ecclesie supradictis, quibus quidem donationi, oblationi, traditioni, investitioni et possessioni si quando ex eis habuimus necnon confirmationi, ratificationi et acceptationi ac omnibus aliis iuribus, rationibus et actionibus, nobis et dicte nostre basilice competentibus et competituris de ipsis et in ipsis monasteriis et ecclesia, pro nobis et successoribus nostris renuntiamus et in vos et successores vestros transferimus, liberaliter et ex toto, pro quibus quidem remissione, liberatione ac donatione predictis pro maiori utilitate dicte basilice centum florenos auri a vobis fatemur presentialiter et manualiter habuisse, promittentes pro nobis et nostris in dicta basilica successoribus, dictas remissionem, liberationem ac donationem omni tempore in perpetuum nos ratas habituras ac firmas. In quorum omnium testimonium certitudinem et cautelam, presens privilegium vobis exinde fieri fecimus, nostri consueti sigilli appensione munitum. Data Rome, apud Sanctum Petrum, anno Domini millesimo, ducentesimo nonogesimo quarto, mense septembris, die vicesimo octavo eiusdem, indictione octava. Pontificatus sanctissimi in Christo patris et Domini prefati domini Celestini pape quinti anno primo.

Celestinus episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis .. abbati et conventui monasterii Sancti Spiritus de Sulmon(em), ordinis Sancti Benedicti, Valven(sis) dioc(esis), salutem et apostolicam benedictionem. Dum infra mentis claustrum recensemus perfectionis opera que in monasterio vestro vigent queq(ue) didicimus sub vestro habitu experientia longa sacrificium acceptum credimus Deo prestare si monasterium ipsum Apostolice Sedis beneficiis ampliemus. Cupientes igitur ut in Sancte Marie de Sagessan(o), Sancti Erasmi et Sancti Silvestri ecclesiis sitis in districtu Sulmon(is), Valven(sis) dioc(esis), spiritualia ferventius ferveant et temporalia latius delatentur ipsas non obstante si ad ecclesias sive regulares sive seculares et alia pia loca spectant vobis cum omnibus possessionibus, terris, domibus, dominiis, honoribus, iuribus, iurisdictionibus et aliis pertinentiis suis conferimus auctoritate pre/sentium et donamus ipsasque eximimus a iurisdictione diocesan(i) episcopi et ordinariorum quorumlibet aliorum. Statuentes ex nunc ipsas ecclesias Roman(e) Ecclesie nullo medio subiacere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre collationis, donationis, exemptionis et consitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Dat(um) Neapoli id(us) novembris pontificatus nostri anno primo.

(BD)